

Übung 6: Kongruente Nominalgruppe

Kapitel III: Syntax

IN L. CATILINAM ORATIO PRIMA HABITA IN SENATU (erste Catilinarische Rede)¹

Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? Quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? Quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? Constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis – quem nostrum ignorare arbitraris?

O tempora, o mores! Senatus haec intellegit, consul videt: Hic tamen vivit. Vivit? Immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. Nos autem fortes viri satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus.

¹ Text, Übersetzung und Kommentare nach *Marcus Tullius Cicero: Die Catilinarischen Reden/In L. Catilinam*. Lateinisch – deutsch. Herausgegeben, übersetzt und erläutert von Manfred Fuhrmann. 4., aktualisierte Auflage. Tusculum Studienausgaben. Akademie Verlag, Berlin. 2011.